

QUAESTIO III.

*An Noctambulorum seu hypnobarum motus causam habeat Physicam, an verò sit hyperphysicus?*

**N**ox priscis ἐνφρόνη dicta fuit, quod quisq; nocte melius sapiat Coel. Calcagn. l. descript. silent. p. 492. nec fors absq; causâ Mercurius somni praeses à Veteribus constitutus Coel. Rhodog. l. 23. antiq. lect. c. 6. p. 1068. Interim desipientium ordo, vel potius inordo cuius ferè obviat, & non magis quàm intempestatâ nocte vel antelucano. Multos haud rarò noctu de lecto exilire videmus, inq; Somno quasi mente captos hinc inde ambulare, eaq; moliri negocia, quae vigilantium etiam vires interdum superant. Huius motionis & molitionis causa varia circumfertur. Superstitiosum in Papatu fuit signum, à vetulis sparsum, eos qui per Baptismum sacrum ad Christianismum, non singulis solennitatibus & ceremoniis adhibitis, initiati fuissent, talia subinde suscipere, inoffenseq; peragere, non sine spectantium stupore.

Democritus putavit dormientium animos pulsari externâ & adventitiâ imaginum visione, quae tanquam membrana à corporibus direpta continenter funderentur & fluerent Coel. Rhodig. l. 27. antiq. LL. c. 11. p. 1033. Nos his omis-  
sis causam hanc Animae assignamus, excellentium Physicorum fila secuti; quae, cum sit in continuo motu, & nunquam quiescat, sed irrequite quiete gaudeat, etiam in imperfecto illo & quasi dimidiato somno (ut loquitur Scalig. in l. de insomn. p. 7. & Connimb. in l. Arist. de Somn. & vig. c. 7. p. 29.) rerum simulacra & imagines formet, quas cum pro veris phantasia arripuit, istarum cognitione Appetitus stimuletur; qui prout fortis est, & Ratione tunc non reluctante vehementior, mox Spiritus animales commoveat, & confertim in nervos spinalis medulla  
detru-